





Inker Rankl  
2. 11. 1890.

1703, 19 20

GEORGII VVOLFFGANGI  
VVEDELII,

HEREDITARII IN *Schwarza*  
MEDICINÆ DOCTORIS, COMITIS  
PALATINI CÆSAREI, CONSILIARII ET AR-  
CHIATRI DVCALIS SAXONICI, THEORE-  
TICES PROFESSORIS ORDI-

NARIJ,  
FACVLTATIS MEDICÆ  
DECANI,

*Propempticon Inaugurale*

DE  
CENSV AVGVSTI.

---

I E N Æ,

Literis CHRISTOPHORI KREBSII.

1703

*Phil. Friedr. Schmeltzer*

GEORGI VVOI FEGANGI  
VVEBELN.

HEREDITARIUM IN SIBIRIA  
MEDICINAE DOCTORIS, COMITIS  
PALATINI CAESAREI, CONSILIARI ET AR-  
CHICHI DUCALIS SAXONICAE, THEORAE  
LICES PROFESSORIS ORDINIS

PHARMACOLOGICAE  
FACULTATIS MEDICAE  
DEGANI,

Propositionum Inauguralium

GENSV AVGVSTI

1771  
Lipsiae Christianorum Koenige





Vulgata est paroemia: Scepticos ubique reperire licet; idque verum est non solum de profanis, sed, quod dolendum, etiam de ipsis sacris. Non illuc exporrigitur nostrum studium, ut falcem in alienam messem mittere sustineamus; licebit tamen, puto, ut Christianis, ut sapientiae studiosis & illa delibare, quae ad gloriam sacri codicis, & ipsius diuini Numinis, nostramque informationem faciant.

Quid notius est Censu Imp. Augusti, circa Natalem Saluatoris O. M. indicto non minus, ac celebrato? Quid vero minus notum, si audias legasue ab recedentibus a litera, vel textu, hinc inde prolata? Optauimus hinc dudum, ut eruantur paulo clarius, quae satisfaciant humano ingenio, quando extra oleas vagari contendit, etiam in profanis illis, in historia sacra occurrentibus.

Non tenemur vlllo nouandi studio, satius semper rati, exquirere & scrutari ut scripturam, ita in scriptura, forte occurrentia dubia, & antiqua alia. Inter haec si forte non inueniamus, quae voto respondeant, non expectandum aliunde putauimus, quod in communi studio studiorum, via regia, non ad aua, seu aliud forum, praeter commune literatorum, declinando erui queat.

Verba *D. Lucae*, accuratissimi circumstantiarum exploratoris, clarissima luce radiant, ut non nisi coacte veluti vis quaedam inferri possit, & sensus detorqueri. Ex hoc veritatis calle, a Spiritu Sancto monstrato, si semel abieris, etiam in profanis hisce alias visis, quicquid occentur

tetur in contrarium, non fatiat intellectum, quin plus obscurat, quam illustrat.

Cum ergo dixisset, c. 2. v. 7. exiisse decretum a Cæsare Augusto, vt describeretur totus orbis Romanus, explicationis & melioris notationis causa addit curate: *αὐτὴν ἡ ἀπογραφή πρῶτη ἐγένετο ὑπομονέουσι τῷ Ἰουδαίῳ κυρηνίῳ, ἡ δευτέρα οὐρανίῳ.*  
*hæc descriptio prima facta est, præside Syriæ Cyrenio.*

Nullum dubium est sermonem esse de censu, vel lustro publico, eoque vniuersali, quousque Romanum paruit imperium. Vtut enim hæc duo distincta videri possint, prout latiori vel strictiori significato accipiuntur, obseruare tamen integrum est, vtroque nomine hunc actum exprimi. Videntur hinc vix differre, quam ratione temporis, censu magis indefinito, lustro censorum magis definito spatio facto: lustro maiori solennitate & splendore, censu minori. Cum tamen certo actu describendi, numerandi, censendi conueniant, non raro promiscua veniunt acceptione.

Censum hunc Augusti testem fidelissimum Dominicæ natiuitatis Romana archiua custodiuisse suo tempore scribit *Tertullianus l. 4. adu. Marcion. p. 408.* Alibi molestos Cæsaris census nominat. Et iterum alibi canit

*Cum Dominus Christus caro nasci venit in orbem  
 Augusti Regis Romani tempore primum  
 Decreto gentes censu numerantur ubique.*  
*l. c. l. 5. c. 6. p. 540.*

Dubium vero de hoc censu non leue exortum fuit ac motum, quod *Fl. Iosephus l. 17. Antiq. Judaic. c. 15. & l. 18. c. 7.* scribit, (1.) Quirinium virum Consularem, seu Senatorem Romanum, missum a Cæsare, (Augusto) in Syriam, vt censum ageret per Syriam, ipsiusque Ar-  
 che-

chelai bona venderet, & iura populis redderet, venisse in Iudæam, in prouinciam redactam, vt percenseret facultates eius regionis ciuium. Iudæos (2.) primum ægre ferentes hunc censum, acquieuisse tamen, motos autoritate Pontificis, excepto Iuda Gaulanite, argumento hoc rebellionis occasionem sortito. Addit (3.) incidisse hunc censum in annum XXXVII. a pugna Actiaca, qua Cæsar Antonium deuicit.

Quod si (4.) idem scriptor consulatur, quisnam circiter circa natalitia Christi Præses fuerit, *libro 17.* nulla fit mentio Quirinii, ceu Syriæ Præsidis, sed saltem Sentii Saturnini, vel eidem successoris missi Quintilii Varii. Vt taceamus referre eundem (5.) Archelaum, filium Herodis, decimo principatus anno apud Cæsarem accusatum, & hinc relegatum fuisse.

Mouerunt hæc eruditos non paucos, vt statuant, nunquam antea censum in Iudæa peractum, quæ verba sunt *Noris Cenotaph. Pisan. Dissert. II. p. 314.* Adeoque eundem censum fuisse peractum annis a nato Salvatore decem, duodecim, vel tredecim quoque demum, communis est assertio nonnullorum.

Cum vero hæc manifesto repugnent diuino scriptori, ad saluandam textus authenticæ autoritatem non vnâ tentatæ sunt ac assutæ quasi sententiæ. Hi ex margine nescio quo irrepsisse vocem Quirinii voluere, illi per Quirinium intellectum esse Saturninum, quo cum ob analogiam quandam morum conuenerit. Alii, vt remouerent vel mollirent vocis *περίων* emphasin, ex quibusdam Scripturæ locis contendunt significare non primam, in numero, sed tempore, prius hunc censum actum, quam Cyrenius præfesset Syriæ. Meminit horum emi-

(6) 20  
nentissimus laudatus Cardinalis *loc. cit.* Suam etiam fa-  
cit Anonymus Scriptor nuperus, *Untersuchung etlicher*  
*Derter* N. T. inscripto libro.

Verumenimvero vix hæc nos mouere queunt, vt  
assentiri queamus. Iosephus enim non nisi vnus census  
meminit, non tam Romanorum annales, quam Iudæo-  
rum historiam scripturus, & res magis notabiles, qualis  
illa fuit ob Archelai exaustorationem, & Iudææ in pro-  
uinciam redactionem. Vnde nulla est consequentia:  
Iosephus non nisi vnus solius census meminit, ergo non  
nisi vnus solus peractus fuit, isque minimum primus  
fuit.

Res illuc redit, vt ad dilucidationem huius dubii  
vel ex sacris fontibus mutuemur suppetias, vel ex profa-  
nis, vel vtraque potius iungamus. Sane quot verba ab  
Euangelista ponuntur, tot pondera offendimus. *Δόγμα*  
vox est maiestatica, omnibus submissee venerandum de-  
cretum ponens, ita enim solent si non effari magnates,  
vt Rex Gallia solet; *Tel est notre plaisir*, tamen ipso  
opere innuere. *Τὸ δὲ πρῶτον φερόν τῶ δὲ δευτέρῳ*, notat vni-  
uersam multitudinem orbis Romani, de quo valet illud:  
nemo hic excipitur.

Seorsim *ἄνω* emphatice valde, definite, demonstrati-  
ue, velut digito notat distinctam, nec cum alia vlla confun-  
dendam descriptionem & lustra publica. *πρῶτον* ordina-  
lis est numerus & relatiuus, intuitu secundæ & tertiæ; sal-  
tim cum substantiuo alio, censum primum ordine & tem-  
pore stricte innuens, imo ad distinctionem sequentium po-  
sita, qua distincte remouet & distinguit primam *δὲ πρῶτον*  
a secunda. Non aliter ac idem *Ἀβ. 1. πρῶτον λόγον* di-  
xit, *primum sermonem*, quod esset secundus a primo.

Ηγεμῶ



ἡγεμονέωντι κυρηνίῳ, *Præside Cyrenio*, idem est ac si dixerō, ex vulgata hypothesi, pro alio tempore signando, Consule Tullio, regnante Leopoldo, vt alia mittamus. Accipienda ergo merito verba, prout iacent, nec addendo, nec subtrahendo, multo minus temere negando, vel inferendo quicquam.

Tantum itaque abest, vt Quirinii mentione colligat quis iure vterius: cenforem egit, post exutum Archelai imperium, ergo non prius vnquam; vt potius contrarium præsumi possit, cum solenne sit Regibus & Principibus, pro simili actu eundem Legatum amandare, vt pote rei iam antea gnarum magis & expertum.

Quod vero Iudæi ægre primum tulerint conditum hunc censum, inualidum admodum est argumentum, fuisse illum primum ordine & numero. Neque enim in Græco est πρῶτος, sed ἡ καὶ δεχῶς, *sub initia* instituti actus & promulgati, quod denuo sollicitarentur molestis censibus, quod Iudæa attributa prouinciæ, quod manifestius sic seruitutem subirent, etiam specie libertatis alicuius iam decollante. Nil vltra hæc relatio Iosephi infert.

Et annus assignatus pugnæ Actiæ cum anno a N. C. septimo coincidit, vt dicemus, quod acceptatur, vt sic alius & distinctus, seu alter potius a primo census hic stabiliatur, quam inuertatur.

Idem vero de Præsidibus Syriæ valet, non hos quosque recenset Iosephus, nisi obiter quasi. Largiemur hoc, census, verbis *Terrulliani*, constat actos sub Augusto nunc in Iudæam per Sentium Saturninum; nec huius positio excludit Quirinium. Vel ipsius enim Iosephi testimonio argui potest, non vnum, sed duos Præsides Syriæ vno  
tem-

tempore fuisse, quod exemplo Saturnini & Volumnii, quem vocat, *l. 16. d. l. c. 13.* Vari item & Sabini *l. 17. c. 12.* clarum est.

Neque enim aliud notat *ἡγεμονία*, vel *ἐπιερχομαι*, quam *ἡγεμονία*, cum Felix *ἡγεμονία* expresse in *Actis c. 24. v. 23. f.* dicatur, quem consimili prædicato idem ornat *l. c. l. 20. c. 5.* Quibus casibus vnum etiam nominasse solenne est, quod in Romana Historia, mentione Consulum & alias est frequentissimum.

Reliquum ergo est, vt paulo altius hæc repetamus. De censu Augusti locus classicus est apud *Suetonium c. 27. p. m. 87.* quanquam sine censuræ honore, *inquietem*, censum tamen populi ter egit: primum ac tertium cum collega, medium solus. Idem quoque refert *c. 101. de* tribus Voluminibus Augusti, quorum altero indicem rerum a se gestarum complexus fuerit, quem voluerit incidi in æneis tabulis, quæ ante mausoleum statuerentur.

His præmissis duo probanda sunt, P. Sulpitium Quirinum, tunc temporis, circa Natalitia Seruatoris, fuisse in Syria, & consequenter in Iudæa; deinde ab Augusto Casare censum, vniuersalem ac publicum, iustra publica deman data. Particularem enim seorsim ante reliquos illos solennes cum collega M. Agrippa egit, teste *Dione l. 53. p. m. 568.* & ipsis Tabb. Ancyranis, de quibus mox.

Cum vero diuersa veterum Romanorum computandi annos ratio non vna fuerit, nec commoda, & æqualiter ac definite adhibita, si ad posteriorum seculorum mores fiat comparatio, seu ab Vrbe condita, seu Consulum magistratu annuo, seu annis Tribunitiæ Potestatis, quæ omnium accuratissima habetur, seu alia, difficile est omnino cuncta *ἀνεκτός* assequi, quin varia du-  
bia

bia confurgant, imo errores manifesti historicorum. Tentabimus nihilominus & nostro loco glaciem hanc frangere.

Quirinium itaque Caio, M. Agrippæ ex Iulia filio, Augusti nepoti adoptiuo, rectorem datum, Armeniam obtinenti, & (in transitu in Syriam,) Tiberium Rhodi agentem coluisse, memorat *Tacitus l. 5. Annal. c. 48.* Caium vero ad res orientis missum, *l. 2. c. 42.* laudatum ab Augusto, quod Iudæam præteruehens apud Hierosolymam non supplicasset, *Suetonius c. 23.* siue iam M. Lommio, moderatori iuuentæ Caii, vel auctori potius prauitatis, successerit, vel additus fuerit in officio: siue seorsim in Syriam missus ad alia peragenda, ipsumque hunc censum.

Ceterum missis aliorum de tempore missionis huius Caii placitis, simpliciori via optimum videtur audire cœtaneum *Velleium Paterculum*, qui *l. 2. p. m. 123.* Gallo Caninio Cos. relegata Iulia, breue ab hoc, *scribit*, intercesserat spatium, cum C. Cæsar, ante aliis prouinciis adfidentum obitis, in Syriam missus. Contigit vero hoc anno vrbis DCC LII. quod egregie commentatur contra Dionem Casium, & ex Macrobio, & Velleio, (utpote qui eo tempore vixerat, & vix XXX. annos effluxisse, claris testatur verbis,) demonstrat *Lipsius in animadu.*  
*in b. l. p. m. 74.*

Et hic locus est assignandi ac applicandi annos Natiuitatis Christi ad annos Vrbs, Consulium, Augusti, eiusque Tribunitiæ Potestatis, in nummis curatissime expressæ. Quid multa? sequi in his fas est viam vniuersalem, orientis, & occidentis, seu Ecclesiæ vniuersæ receptissimam, æram, inquam, Dionysianam, & D. Lucae deter-

determinationi, & rei ipsi conformem, qua natus esse stabilitur anno V. C. DCCLIII. in quo magis sequimur *Harduinum*, quam summum *Norifum*, a Societate Iesu, quam deprædicat, ita inductum, cuius tamen membrum, & ille, tanquam meliora docens, attendi meretur; & imprimis superiori anno editum de æra illa scriptum doctissimum Anonymi, *Variscum (einen Voigtländer)* se profitentis.

Hic enim, quod itidem dudum optauimus, ad ductum sacrarum literarum, & fontium Græcorum, omnia illa aliis contra demonstruit, quantum Ios. Scaliger & Caluifius, autoritate illius motus, a scopo abludant, omni laude dignissimus.

Singulis his colophonem addit *Monumentum & Marmor Ancyranum*, e quibus tabulis mirum quantum facem mutuari licet. Et ne fides desit, vel antiquitatis, vel veritatis, inde consequentis, primus, quod sciam, laudari meretur inuentor *Antonius*, vir omni exceptione maior, *Augerius Busbequius*, qui *Legationis Turcicae epist. 1. p. m. 61. & 62.* pulcherrimam hanc inscriptionem Ancyrae, oppido Galatiæ, Augusto olim dedicato, imo ab ipso condito, marmoreis parietibus incisam, in suburbio, laudat vberius. Ab eo profectam legere licet apud *Sextum Victorem in Epitome, p. m. 16. seqq.* hinc apud *Leonclauium, Pandect. Histor. Turc. p. 205.* qui & *Antonium Verantium*, Episcopum Agriensem, laudat, & *Antonium Gruterum Inscript. Roman. p. 230.*

Nulla modo ergo audiendi, si qui sunt tam præfractæ mentis, vt audeant imminuere tanti monumenti veritatem. Dicit enim quod res est, congrua *Suetonio*, conformia rei,

rei, iisdem quasi verbis, nulla vel suspicione falsitatis, vel adulterinae relationis.

In hoc fragmento seu Indicis rerum gestarum, seu Breuiarii imperii Augusti, *Serie II. p. 20.* apud Victorem, post memoratum *in consulatu sexto censum Populi*, linea IV. addit Imp: *Lustrum post annum alterum & quadragesimum feci.* Fuisse hunc primum illum censum, Anno Natiuitatis Christi laudatissimæ, de quo quaestio est, colligimus, quia ipsissimo hoc anno Augusti XLII. Tribunit. Pot. XXIII. Urbis Conditæ DCCCLIII. orbi illuxit.

Vt enim *Casaubonus in comment.* tot annos elapsos a nouissimis Censoribus Cn. Lentulo & L. Gellio, qui lustrum condiderint Anno DCLXXXIV. ad hoc lustrum Augusti anno DCCXXVI. factum, vt ipse putat, interpretetur, frustra tamen id asseritur. Non enim Censor erat tunc temporis Augustus, sed Imperator. Non numerabantur anni censuum actorum hoc modo, secundum decursum annorum. Adde, si hoc verum esset, debuisset annus hic (XLII.) apponi Censui præmissio, & ibidem *lin. 3.* memorato, non lustro primo, quo cum censum illum confundit, & illo tamen anno in Consulatu sexto actum negat, qui cum ann. V. C. 726. coincidit & idem est.

Imo lustrum illud Cn. Lentuli & L. Gellii non anno 684. sed 683. factum testatur *Sigonius Comm. in fast. & triumph. Rom. p. 282.* nullum vero ann. 726. Et, vt de aliis censibus interim factis non dicamus, fuisset potius a C. Iulio Cæsare acto ann. 707. numerus infitendus, quo de *idem l. c. p. 316.* agit & videri potest.

Hoc vero sensu & ordine admissio clarissime omnia patent, triplex census vniuersalis, & primus hic noster desideratus, numeratus a Consulatu Augusti, ante Christum natum XLII. inito, quibus elapsis memoratur id factum: post annum alterum & quadragesimum. Cur enim non meminerit huius anni, quo Imperator dictus est, & vnde peritiores & nummos & initium imperii rectius numerant? vt mirandum sit, hæc vulgo neglecta fuisse hæctenus.

Secundi lustrum meminit lin. 8: *nuper lustrum solus feci legi censorum* - - SINIO COS. Hic non possumus non animaduertere, non tam legendum vel supplendum videri ASINIO Cos. quod factum est anno ante Christum septimo, sed potius LICINIO Anno Christi nati septimo, idque ex sequentibus rationibus. Primo enim, cum desit initium nominis, non infallibiliter legi potest: ASINIO, sed id supplendum magis, quod rei quadrat. Deinde credibilis est, expuncta per iniuriam temporis vel casu litera A, vel alia vna vel duabus initialibus, insequenti proxime C particulam inferiorem potuisse ob similitudinem facile affuendam videri. Nulla enim litera cum S magis symbolizat, vel illi respondet, quam C. ita vt hoc reduplicatum seu caudatum in S abeat, seu degeneret quasi.

Accedit, quando duo Consules debebant nominari, mentionem magis fieri primi, seu primatis, primarii, quam secundi vel secundarii. Iam vero C. Marcius Censorinus & C. Asinius Gallus simul erant in consulatu, vnde longe verosimilius vel rectius legitur (A. LI.) CINIO, (Nerua) cuius collega erat Q. Cæcilius Metellus. Et

Et hic annus V. C. 760. Christi 7. conuenit cum anno a pugna Actiaca XXXVII. quem Iosephus memorato a se Censui Quirinii assignat, secundo puta solenni Augusti, cuius & *Actor. c. 5. v. 37.* fit mentio. Neque de hoc amplius dubium est, quam de annis Archelai, cui satisfactum est ab *Harduino, de Nummis Herodiadum p. 39.* neque possunt illa duo tempora, annus X. Archelai, qui sextus potius fuit, & XXXVII. a pugna Actiaca simul stare.

Tertium denique lustrum Augusteum, ultimo anno vita Imp. Augusti contigit, elogio marmoris Ancyrani, Sexto Pompeio & Sexto Apuleio *Cof. A. C. 14.* quod agmen claudit, & difficultate carere videtur. Notabile tamen est, tria hæc lustra solennia publica & œcumenica, ut sic loquar 1. 7. & 14. annis salutaribus peracta, adeoque ad instar lustrorum reliquorum quandam inter se proportionem habere. Spectat huc locus *Varronis l. 5. de L. L. p. 46.* lustrum nominatum tempus quinquennale, a luendo, hoc est soluendo: quod quinto quoque anno vectigalia & ultra tributa per censores persoluebantur.

Ratum itaque est, & ut nobis videtur, demonstratum, ita euidenter & omnium optime clarere textum Natalitium laudatissimum, dici *πρωτη διοργανωσις* respectu secundæ, quarum duarum ipse scriptor sacer meminit; ipsumque Quirinium utramque egisse, omni sic dubio facile sublato.

Et licet perinde sit, an reddatur ita: Hæc descriptio prima fiebat præside Syriæ Cyrenio, (qui ipsissimus est Quirinius,) an vero: Hæc descriptio prima erat præfidentis (vel sub præfectura) Syriæ Quirinii, *dieses war die erste*

erste Schätzung des Landpflegers in Syrien Cyrenii; posteriorem tamen hanc præferendam colligimus. *τὸ ἐσόμενον* enim non minus significat *erat*, teste eodem capite *Luc. 2. v. 13. & 42. & Iohann. 1. v. 16.* ne plurima loca alia laudemus.

Deinde alium paulo stylum adhibet, quando tempus certum ac definitum iisdem verbis exprimere vult, vt in assignanda ætate Christi *c. 3. v. 1. & 2.* Tacemus, hoc pacto a quibusdam etiam desideratum aliquem inter reliquos Præsides Syriæ merito reputandum esse & habendum Quirinium. Sed hæc, saluo rectius sentientium iudicio, velut cursim & obiter dicta sunt. Præfari enim hæc volumus occasione DISSERTATIONIS INAVGVRALIS de CVRA PALLIATIVA, clarissimi & dignissimi Medicinæ Candidati,

## PHILIPPI FRIDERICI Schmelzer.

Auram hanc vitalem primo hausit in libero Imperiali emporio, Mœnus quod alluit, Francofurto, anno ab orbe redempto MDC LXXVI, Calendis Nouembribus, genitus Parentibus honestissimis, Patre LAVRENTIO Schmelzer/ œnopola, Matre ANNA MARIA, nata SCHÆFFERIA.

Dilectissimi Parentes id vnice in votis habuere, vt, simulac anni permitterent, paulatim recto virtutum tramite assuesceret, vnde cum ipsi, tum per alios veris Christianæ fidei ipsum initiantes fundamentis, e re fore putarunt, vt præter dogmata Christiana & bonis literis animum



num applicaret. Consilio huic opportuno pondus addidit honoratissimus Auunculus, Amplissimus IOHANNES IACOBVS SCHÆFFERVS, qui, plusquam paterno affectu, ab incunabulis strenuas ipse simul admouit manus in eodem erudiendo, id curæ habens, vt solida literaturæ humanioris instillaret principia.

Nec reticendos censet clarissimos & meritissimos Gymnasii patrii moderatores, IOHANNEM GERHARDVM ARNOLDVM, Rectorem, ceterosque eiusdem Collegas solertissimos, quorum fidelissimam pro virili sua per decennium informationem gratisissima mente deprædicat.

Horum industria, memorati inprimis nunquam factis celebrandi Auunculi, effectum, vt Anno MDCXCV. dignus haberetur, qui ad Academica ablegaretur studia, Almam igitur hanc Salanam, suasu, qui ipsi præerant, elegit, ibidemque appulit d. XV. Aprilis, fasces Academicos gerente ERHARDO WEIGELIO, felicis memoriæ, Matheseos Professore Publico, Venerando Academiæ Seniore, nec infausto omine. In tantum enim Musarum hoc domicilium placuit, vt non pœniteat sexennium, & quod excurrit, emensum esse sub dũ Excellentissimorum pariter atque Celeberrimorum & Philosophiæ & Medicinæ Professorum.

Audiuit in lectionibus Philosophicis, præter alias, Logicas IOHANNIS PHILIPPI TREVNERI, S. S. Theol. Doctoris & Phil. P. P. Physicas, Mathematicas, Curiosas GEORGII ALBERTI HAMBERGERI, Mathes. Profess. In Medicis Commentationes ad aphorismos Hippocratis D. ERNESTI

NESTI HENRICI WEDELII, Profess. Extraord. Medici Prouincialis Saxo-Vinariensis, ciuitatisque Ienensis Physici; Demonstrationes Chmicas, Botanicas, Chirurgicas atque Anatomicas publicas & priuatas D. IOHANNIS HADRIANI SLEVOGTII, Hereditarii in Ober-Nosla / Anat. Chirurgiæ & Botan. Professoris Publ. Medic. Prouincialis Saxonici; Prælectiones Theoreticas, pathologicas, materiæ medicæ, compositionis medicamentorum, chmicas, practicas, & publicas & priuatas a nobis institutas; vt & Exercitia disputatoria D. RVDOLPHI WILHELMI KRAVSII, hereditarii in Mellingen / Prax. & Chimiæ Professoris P. Collegii Medici Senioris venerandi.

Iactis sic in arte Medica solidis & genuinis fundamentis, vt, a quorum nutu pender, mandatis satisfacere, non ita pridem nomen apud Facultatem nostram professus, albo Medicinæ Candidatorum inferi, & ad consueta examina admitti, honeste & decenter petiit. Hoc vt ob pietatem, mores inculpato & insignes profectus, abunde probatos, ex merito obtinuit, ita aditu in cathedram publicam concesso eosdem demonstraturus est, habenda, sub Nostro Præsidio, solenni A. D. VII. Februarii laudata Dissertatione.

Huic actui vt Magnificus Pro-Rector, Magnificus Pro-Rector Designatus, Patres Academiæ Conscripti, ceterique omnium Ordinum Hospites Spectatissimi, lectissimorumque Commilitonum corona, interessere ne dedignantur, perofficiose & peramanter oro atque contendo. P. P. Sub Sigillo Facultatis Ienæ A. D. IV. Februar. M DCC III.

( L. S. )

ULB Halle

3

006 366 333



vol 18







Car. Ranke,  
11.1890.

1703, 19 20 ✓

GEORGII VVOLFFGANGI  
VVEDELII,  
HEREDITARII IN *Schwarza*/  
MEDICINÆ DOCTORIS, COMITIS  
PALATINI CÆSAREI, CONSILIARII ET AR-  
CHIATRI DVCALIS SAXONICI, THEORE-  
TICES PROFESSORIS ORDI-  
NARII,  
FACVLTATIS MEDICÆ  
DECANI,  
*Propempticon Inaugurale*  
DE  
CENSV AVGVSTI.

I E N Æ,  
Literis CHRISTOPHORI KREBSII.

1703

*Phil. Friedr. Schmeltzer*

